1574 Reuerendiſsimis, Illuſtribus & Magni-
ficis Senatoribus, Nobilibus & Genero-
ſiſsimis Equitibus Regni nostri Polo-
niæ, & magni Ducatus Lituaniæ &.

Henricus Dei Gratia Rex Poloniæ
Magnus Dux Lituaniæ Russiæ Pruſ-
siæ Muscouiæ &.

Reuerendiſsimi Illuſtres & Magnifici Dni.
Vosq nobiliſsimi & Generoſiſsimi Equites, Dici non
potest, quanto cum doloris sensu in animum
nostrum induximus, ut non expectatis Inclyti
huius Regni comitijs, in Franciae Regnum quod
nobis nuper legibus, iureq hereditario obuenit
properandum statueremus. Siquidem in merita
uestra erga nos, & in caritatem & beneuo-
lentiam, qua uos complectimur intuentes,
non potuimus sane sine lachrymis ac
summo dolore, de hac nostra in Franciam
profectione cogitare, multa ob oculos uer-
sabantur, quæ commemorare longum esset.
Itaq plane uicerat, recordatio beneficiorum
Vestrorum, ita ut omnino nobis certum
& constitutum esset. Franciae Regni admi-
nistratione Sereniſsimæ Reginæ matri nostræ

Från oplacerade handl.
Extranea 1939

Commiſsa & demandata, hic non modo Comi-
tia expectare, verumetiam, si ita nobis ui-
deretur, integram fere ætatem degere. Testis
est mihi DEVS, Testes quoque non pauci ex
Senatoribus, cum quibus simul atque de morte
Christianiſsimi Regis fratris nostri nunti-
atum nobis est, copiose hac de re egimus.
Atque ex illorum sententia, sub huius Regni
nostri Sigillo, ad Sereniſsimam Reginam
matrem nostram mandatum amplissi-
mum, quod Regentiam Galli uocent, misimus.
Priuatis etiam nostris literis Illustriſsi-
mum Principem fratrem nostrum Ducem
Alenconium, Henricum Nauarræ Regem
& omnes Galliæ Principes ac Proceres
sedulo monuimus, ut nostrum desideri-
um æquo animo ferrent, neque aduentum
nostrum frustra expectarent. Ita pro-
fecto se res habet. Mutandi uero con-
silij huius, aut potius sententiæ nostræ
quæ penitus insiderat animo hæc fuit
causa, quam uobis hoc est prudentibus
ac sapientibus uiris spero esse probatum.
Hesterno die sub noctem fere allatæ
sunt nobis literæ a Sereniſsima Regina
matre nostra, et multis Galliæ proceribus

ac primarijs Viris, in quibus scriptum erat,
necessarium esse omnino, ut quamprimum
& dispositis equis ad celeritatem istuc aduo-
laremus, in summo discrimine esse res Gal-
licas, actum prorsus aliter uideri, de ue-
tustiſsimo nobiliſsimoque totius Europæ Regno,
nec ullam aliam rationem esse tuendi ac
defendendi illius Imperij, quam si intra ui-
ginti dies ad summum Lutetiæ Parisiorum
vel saltem in finibus Regni nos sisteremus.
Multa erant alia diligenter descripta in
illis literis, ex quibus non modo periti re-
rum Gallicarum sed etiam exteri ignari
harum rerum facile possint intelligere,
Illico & sine cunctatione nobis discedendum
esse, quamobrem lectis illis literis apud
me necessario constitui, quanta possem
maxima celeritate in Franciam proficisci.
Cum autem si de profectione mea cognitum
esset, multa imminere uidebantur, quæ
celeritatem in qua omnia posita essent
retardarent. Cauendum nobis putauimus
ut tacite proficisceremur. Itineris Gallici
ratio uobis non est ignota, nec ignoratis

Studia & mores illarum Gentium, per quas
transeundum est. Itaq nihil opportunius
nihil securius uisum, quam ut omnes de
profectione celaremus, ac subita & festina
ta abitione, discessus nostri famam ante
uerteremus. Habetis paucis rationem con
silij mei. Reliquum est ut uobis persua
deatis, nihil nequam hoc facto de pristino
nostro erga uos totumq hoc nostrum Po
loniæ Regnum, amore discessisse. Vos quoq
illam summam, qua nos hactenus prose
cuti estis beneuolentiam, & obseruantiam
integram conseruabitis. Nullam a me
uos umquam tuendi, ornandi et augendi
huius nostri Regni occasionem labi aut
affluere permittemus. Dignitatem nostram
et Poloniæ Regni proceritatem tantisper
dum absumus (Aberimus autem quam
minimum poterimus) fidei integritati
prudentiæ & sapientiæ uestræ commenda
mus. Cupimus insuper & hortamur
uos, ut primo quoq tempore egregios ui
ros ex utriq ordinibus lectos ad nos in Gal
liam mittatis, qui ad utilitatem & orna
mentum huius Regni nostri pertinent trac
tabimus. Iterum atq iterum salutem atq
concordiam incolumitatem, Regni nostri & ex
istimationem nostram uobis quam obnixe
fieri potest commendamus. Bene ualete.
Cracouiæ 18 Junij

Henricus Rex

Nosti enim Germanorum ingenia, & quan
to odio homines Catholicos persequantur.
Quid uero nunc a Serenitate uestra ex
pectem aut exoptem, Nobilis & Genero
sus uir Dominus Danceus consiliarius
noster exponet meo nomine copiose, qui
has literas Syncoritati uestræ reddet.
Illi ut fidem adhibeatis omnino cupio
Bene ualeat Sinceritas uestra, & me
ut hactenus fecit diligat. Datum Craco
uiæ 18 Junij Anno 1574.

Henricus Rex.

Reuerendiſſimo in Christo Patri
Dno Episcopo Cinaviensi, sincere
nobis dilecto

Henricus Dei Gratia Gallorum &
Poloniæ Rex, Dux Magnus Lituaniæ
Russiæ Prussiæ &c
Reuerendiſſime Domine sincere nobis dilecte.
Pro mutatione rerum ac temporum mu
tanda quoq esse consilia Paternitas uestra

non ignorat. Idipsum prudens uir facere
semper, & nobis nunc necessario faciendum
est. Constitueram enim superioribus
diebus, quam paternitas uestra de me
bis intellexit, hic apud uos manere
saltem donec comitia indicta coacta,
& peracta fuissent. Nunc uero cum
ex literis Serenissimæ Reginæ Matris
nostræ, quas hodie sub tempus cenæ
accepi intelligam, Res Galliæ eo esse sta-
tu, ut de toto illo nobilissimo &
Amplissimo Regno meo plane actum
sit, nisi quamprimum & incredibili
celeritate illuc peruenero, cogor mutare
consilium & in Franciam quam max-
imis potero itineribus proficisci. Celare dis-
cessum &c.

Illustri & Magnifico domino
Comiti Tenczino Castellano Voyni-
ciensi subcamerario nostro &c.

Henricus DEI Gratia Gallicorum & Poloniæ
Rex, Magnus Dux Lituaniæ
Russiæ, Prussiæ &c.

Illustris & Magnifice domine sincere nobis
dilecte, non sponte quidem sed coacti &
cogente rerum necessitate in Franciam
nunc maxima celeritate profecti sumus. Ex
literis enim Serenissimæ matris nostræ,
quas hodie sub tempus cenæ accepimus
intelleximus, in eo statu res Gallicas
esse ut nisi expeditis equis illuc aduolauero
omnino de illo nostro Regno actum sit.
Idem quoque scriptum est ad nos ab aliis
Galliæ proceribus ac primariis Viris.
Quamobrem cunctandum mihi minime
putaui, ne mihi ipsi in re tanti momen-
ti deesse uiderer. Discessum uero nos-
trum tacitum esse operæpretium fue-
rit, propter incommoda itineris. Nouit
enim Sinceritas uestra ingenia Ger-
manorum, & quanto odio prosequantur
Catholicos omnes. Quod autem nunc

a Synceritate vestra expetam & expectem
Nobilis & Generosus Vir Danceo consiliarius
meus exponet vobis, cui ut fidem habeatis
vehementer rogo. Hoc unum tantum
addam, hac posteriore Epistolae parte, Te
eum esse quem ego summopere amavi
quem plurimum feci, & cuius viciſſim
amicitiam & benevolentiam erga me
sempiternam esse cupiam. bene Valeat
Synceritas vestra. Datum Craconiae Rap-
tim die 18 Junij A°. 1574.

Henricus Rex

Illustri et Magnifico domino
Lasky palatino Syradiensi
sincere nobis dilecto.

Henricus DEI Gratia Galliarum &
Poloniae Rex, Magnus Dux Lituaniae
Ruſſiae Pruſſiae &c.

Illustris ac Magnifice Domine, sincere nobis
dilecte. Cogor in Galliam profiſci neceſ-
sario. Ex literis enim, quas Sereniſſima
Regina mater mea ad me scripsit,

intellexi, In eo statu res esse Galliae
Ut nisi intra paucos dies ad fines
Franciae advenero, actum penitus sit
de toto illo Regno. Idem mihi scrip-
serunt, omnes fere Galliae Proceres
& primarij viri, fidem meam implo-
rantes, quamobrem cunctandum &
procrastinandum minime putavi.
Sed discessum meum celare operaepre-
tium est, ut securius transitum per
Germaniam. Novit enim Synceritas
vestra ingenia animosque Germanorum
& quanto odio Catholicos prosequantur.
Quid vero amplius a Serenitate vestra
expetam, Nobilis & Generosus Vir
Dominus Dunceus Consiliarius noster
exponet meo nomine copiose, qui has
literas vobis reddet. Illi ut fidem
habeatis vehementer rogo. Adijciam
hoc tantum me curaturum diligentia
ut negotium quod tibi erit in Gallia
commodiſſime, & ex animi sententia
succedat. bene Valeat Sinceritas vestra
Datum Craconiae 18 Junij.

Henricus Rex

Illustri ac Magnifico Domino
Radziuil in Olica Marscalco
Curiæ Lituaniæ, Sincere
nobis dilecto.

Henricus Dei Gratia, Galliarum
& Poloniæ Rex, Magnus Dux Lit-
uaniæ Russiæ Prussiæ &c.

Illustris ac Magnifice Domine, Sincere
nobis dilecte. Cum hæc ad te scriberem
iam fore in equum ascenderem, ut in
Galliam proficiscerer, id non nisi necessa-
rio facio. Intellexi enim ex literis,
quas Serenissima mater mea ad me scrip-
sit, in eo statu res esse Galliæ, ut nisi
intra quindecim dies, vel prius Franciæ
appulero, actum penitus esse videatur
de toto illo Regno: Idem quoque ad
me scripserunt omnes Galliæ proceres
& primarii viri fidem meam implo-
rantes. Quamobrem cunctandum &
procrastinandum minime putavi, sed
discessum meum celare opportunum est
ut securius transeam per Germaniam.

...

Polniſche Zeitung

Diſe brieff hat d[er] konig zu
Polen in ſeiner Schlaff kamer
fund[en] ſich gelaſſen